

Ascanius, galeam ante pedes proiecit inanem,
 qua ludo indutus belli simulacra ciebat.
 adcelerat simul Aeneas, simul agmina Teucrum. 675
 ast illae diversa metu per litora passim
 diffugiunt, silvasque et sicubi concava furtim
 saxa petunt; piget incepti lucisque, suosque
 mutatae adgnoscent, excussaue pectore Iuno est.
 sed non idcirco flammae atque incendia viris 680
 indomitas posuere; udo sub robore vivit
 stuppa vomens tardum fumum, lentusque carinas
 est vapor, et toto descendit corpore pestis,
 nec vires heroum infusaue flumina prosunt.
 tum pius Aeneas umeris abscindere vestem 685
 auxilioque vocare deos et tendere palmas:
 'Iuppiter omnipotens, si nondum exosus ad unum
 Troianos, si quid pietas antiqua labores
 respicit humanos, da flammam evadere classi
 nunc pater, et tenuis Teucrum res eripe leto; 690
 vel tu quod superest infesto fulmine morti,
 si mereor, dimitte tuaque hic obrue dextra.'
 vix haec ediderat, cum effusis imbribus atra
 tempestas sine more furit, tonitruque tremescunt
 ardua terrarum et campi: ruit aethere toto 695
 turbidus imber aqua densisque nigerrimus austris,
 inplenturque super puppes, semiusta madescunt
 robora, restinctus donec vapor omnis et omnes
 quattuor amissis servatae a peste carinae.
 At pater Aeneas, casu concussus acerbo, 700
 nunc huc ingentis, nunc illuc pectore curas
 mutabat versans, Siculisne resideret arvis
 oblitus fatorum, Italasne capesseret oras.
 tum senior Nautes, unum Tritonia Pallas
 quem docuit multaue insignem reddidit arte 705
 — haec responsa dabat vel quae portenderet ira
 magna deum vel quae fatorum posceret ordo —
 isque his Aenean solatus vocibus inquit:
 'nate dea, quo fata trahunt retrahuntque, sequamur;

125